DE PERVIGILIO VENERIS,

CARMINE LATINO,

COMMENTATIO,

QUAM SCRIPSIT

ET

CONSENTIENTE AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM LUNDENSI

DISPUTANDO PUBLICE DEFENDET

OLAVUS JACOBI

PHIL. CAND. GOTHOB.

IN AUDITORIO 1:MO

DIE XXXI MENS. MAJ. MDCCCLXVII.

H. A. M. S.

LUNDÆ,

TYPIS BERLINGIANIS,

MDCCCLXVII.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

ANDREÆ THEODORI BRUHN,

PHILOSOPHIÆ DOCTORI,

SCHOLARUM SVECIÆ INFERIORUM DIRECTORI, REG. ORD. DE STELLA POLARI EQUITI,

ET

JOHANNI SAMUELI BERG,

VICARIO PASTORI FJEROSIANO,

PRÆCEPTORIBUS QUONDAM STUDIOSISSIMIS,

HOC OPUSCULUM DEDICAT

DISCIPULUS.

„Ἐι δέ τις ἕτερα τούτων κρείττω ἐρεῖ,
τὰ βέλτιστα νικάτω.„
Dion. Halic. Lib. XI cap. 14.

Ex omnibus, quæ litteris mandarunt veteres scriptores et quasi hereditate nobis reliquerunt, nescio equidem, an nullum monumentum, sive contextum, quem dicunt, verborum, sive in primis singulas singularum enuntiationum sententias respexeris, vel ad emendandum vel ad interpretandum difficilius sit, quam carmen illud Latinum, quod *Pervigilium Veneris* inscribi solet. [1] Quamvis enim tot tantoque ingenio instructi viri operam magnam ac studium in hoc carmine perscrutando posuerint, nondum tamen num singulæ carminis strophæ integræ sint versusque omnes probe ordinati, quo tempore quemque ad finem compositum sit carmen, ubi et quomodo festum sollemne, ad quod carmen pertinet, celebratum sit, satis potuit explorari. Quæ quum ita sint, arrogantiæ temeritatisque crimen vix evitare possem, si rem tam obscuram tamque defficilem eum ad finem me perducturum esse sperarem, ut aut nihil difficultatis aut non multum restaret. Nihil igitur ejusmodi animo umquam obversari potuit. Id autem in hoc opusculo

[1]) Carmen, quod hoc tempore tractaturus sum, plerumque *solere* ita inscribi ex industria dico propter Erasmum, Aldum Manutium, Gyraldum, qui, nescio quo juro, hoc carmen *Ver* sive *de Vere* inscribendum censuerint. Quam in opinionem fortasse ideo inciderunt, quia versus intercalaris, quem codicum auctoritate nisi toti carmini præmittere solent editores, ab uno pluribusve codicibus abfuit, ut hoc fuerit carminis initium: *Ver novum* sq.

Conf. Wernsdorfii Poet. Latt. Min. Tom. III pag. 446. Buech. p. 42. extr.

conscribendo spectavi, partim ut quæ viri docti alius alio melius de hac re sibi persuaserant diligentius examinarem, partim ut, quoad ejus fieri posset, et ipse pro tempore et facultatibus ad rem accuratius explicandam aliquid conferrem, præsertim quum, quod scirem, nostratium nemo hoc carmen tractandum umquam suscepisset. Atque vitia, quibus opusculum meum vereor ne laboret, quippe quum in re obscura atque dubia tractanda verser, ea spero fore ut et facile a viris doctis ætati meæ condonentur et alios me feliciores sagacioresque ad rem denuo tentandam et longius proferendam incitent. [2])

Ipsa autem res, in qua explicanda versaturus sum, in tres potissimum partes distribuenda videtur. Primum igitur dicam de verbis carminis ipsis eorumque ordine et ad versus strophasque conformandas inter se connexu, deinde ea ex–

---

[2]) Non alienum videtur h. l. ea laudare opera atque editiones, quibus in hoc libello elucubrando uti easque consulere mihi licuit.

Pervigilium Veneris ex editione Petri Pithoei cum ejus et Justi Lipsii notis, cet. Hagæ Comitum MDCCXII.

De Pervigilio Veneris apud Romanos celebrato et de carmine, quod ei pervigilio dicatum est. Wernsd. Poet. Latt. Min. Tom. III p. 425. Ib. Tom. IV P. 2 pag. 854. Tom. V P. 3 pag. 1465.

Catullus, Tibullus, Propertius, Cum Galli Fragmentis et Pervigilio Veneris. Studiis Societatis Bipontinæ. Biponti CIↃIↃCCLXXXIII.

Die Nachtfeier der Venus lateinisch und deutsch mit Anmerkungen von Anton Möbius. Soest 1816.

Die Nachtfeier der Venus (in "Litterarische Analekten, herausgegeben von F. A. Wolf. Berlin 1820," IV p. 558).

Pervigilium Veneris ad Codd. Salmas. et Pith. exactum ab Jo. Casp. Orelli. Turici MDCCCXXXII.

Panegyrin De Certaminibus Civium Litterariis indicit Doct. H. C. A. Eichstadius. Adjectum est Pervigilium Veneris. Jenæ 1839.

De Carmine Latino, quod Pervigilium Veneris inscribitur. Dissertatio Inauguralis Philologica, quam — — — defendet Auctor Gust. Henr. Heidtmann. Gryphiæ MDCCCXLII.

Pervigilium Veneris Pristino Nitori Restitutum. Lipsiæ CIↃIↃCCCLII. (Editor est Fridr. Lindemann, si quidem Bibliothecæ Scriptorum Classicorum Engelmannianæ fides est habenda).

Conferas velim quæ ad hunc librum recensendum disputat Freius in Museo Rhenano 1856 pag. 195 sq.

"Veillée de Venus" in "Poesies Populaires Latines par M. Edèlstand du Méril. Paris 1843."

Pervigilium Veneris adnotabat et emendabat Franciscus Buechelerus. Lipsiæ MDCCCLIX.

Viro Summo Friderico Theophilo Welcker Diem Solemnem XVI. M. Octobris Gratulatur Theodorus Bergk. Inest Commentatio De Pervigilio Veneris. Halæ MDCCCLIX.

De Buecheleri et Bergkii editionibus judicium fecit Lucianus Mueller in Annal. philol. 1861.

ponere conabor, quæ ad mythologiam et historiam pertinent, denique ad ea, quæ difficiliora sunt intellectu, interpretanda progrediar.

Priusquam ipsum carminis contextum, quem dicunt, qualis meo quidem judicio videtur conformandus, subjiciam, perpauca mihi sunt præmittenda de codicibus, quibus hoc carmen continetur. Exstat igitur Pervigilium Veneris in duobus libris manu scriptis, codice Salmasiano et Pithoeano sive Thueano, quorum utrumque ex uno eodemque codice archetypo, illum autem quam hunc multo et vetustiorem et meliorem, esse propagatum nostri temporis viri docti sibi persuadent. [3]) Quos codices, accurate et religiose descriptos, edendos curavit philologus ille præclarissimus, Jo. Casp. Orellius. Turici 1832. Ejus igitur editionem, quam supra jam landavi, is adeat velim, qui hos codices eorumque scripturas plenius cognoscere cupiet.

I.

Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.
Ver novum ver jam canorum, vere natus orbis est:
Vere concordant amores: vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum [5]
Implicat casas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione jura dicit fulta sublimi throno.
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

II.

Cras erit quom primus Aether copulavit nuptias, [59]
Ut pater totum crearet vernis annum nubibus:
In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis,
Unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.
Tunc cruore de superno, de maritis imbribus [9]
Cærulas inter catervas inter et bipedes equos
Fecit undantem Dionen spumeo Pontus globo.
Ipsa venas atque mentem permeanti spiritu [63]
Intus occultis gubernat procreatrix viribus

---

[3]) Orellio quidem propter codicum discrepantiam aliter de hac re visum est. Or. l. l. p. 218.

Perque cælum perque terras perque pontum subditum [65]
Pervium sui tenorem seminali tramite
Imbuit jussitque mundum nosse nascendi vias.
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

III.

Ipsa Trojanos penates in Latinos transtulit:
Ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit [70]
Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem
Romulas et ipsa fecit cum Sabinis nuptias,
Unde Ramnes et Quirites proque prole posterum
Romuli patrem crearet et nepotem Cæsarem.
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet. [75]

IV.

Rura fecundat voluptas, rura Venerem sentiunt.
Ipse Amor, puer Dionæ, rure natus dicitur:
Hunc, ager quum parturiret, ipsa suscepit sinu,
Ipsa florum delicatis educavit osculis. [4])
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet. [80]

V.

Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis, [13]
Ipsa surgentes papillas de favoni spiritu
Urget in notos penates: ipsa roris lucidi, [15]
Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas.
En micant lacrimæ trementes de caduco pondere:
Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos;
Jam pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.
Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus, [20]

---

[4]) Etsi non tot hujus carminis strophas, quot Bergkius, mutilatas esse concedo, nonnullos tamen versus h. l. excidisse ei assentior eosque octo fuisse conjicio.

Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa jussit mane totæ virgines nubant rosæ:
Facta Cypridis de cruore deque Amoris osculis
Deque gemmis deque flammis deque solis purpuris,
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea.
Unico marita nuda non pudebit solvere.
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

VI.

Ipsa Nymphas diva luco jussit ire myrteo:
It puer comes puellis, nec tamen credi potest
Esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite Nymphæ, posuit arma, feriatus est Amor:
Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est,
Neu quid arcu neu sagitta neu quid igne læderet.
Sed tamen Nymphæ cavete, quod Cupido pulcher est;
Totus est in armis idem, quando nudus est Amor.
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

VII.

Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Una res est, quam rogamus: cede, virgo Delia,
Ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus
Et recentibus virentes ducat umbras floribus.
Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret:
Ipsa vellet ut venires, si deceret virginem.
Jam tribus choros videres feriatos noctibus
Congreges inter catervas ire per saltus tuos
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres nec Bacchus absunt nec poetarum Deus.
Te sinente tota nox est perviglanda canticis.
Regnet in silvis Dione: tu recede, Delia.
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

VIII.

Jussit Hyblæis tribunal stare diva floribus:
Præses ipsa jura dicet, assidebunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores, quidquid annus attulit:
Hybla florum sume vestem, quantus Aetnæ campus est.
Ruris hic erunt puellæ vel puellæ montium,
Quæque silvas quæque lucos quæque fontes incolunt.
Jussit omnes assidere pueri mater alitis,
Jussit et nudo puellas nil Amori credere.
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

IX.

Ecce jam subter genestas explicant tauri latus, [81]
Quisque tutus quo tenetur conjugali foedere:
Subter umbras cum maritis ecce balantum greges
Et canoras non tacere diva jussit alites.
Jam loquaces ore rauco stagna cycni perstrepunt: [85]
Assonat Terei puella subter umbram populi,
Ut putes motus amoris ore dici musico,
Et neges queri sororem de marito barbaro.
Illa cantat, nos tacemus: quando ver venit meum?
Quando fiam uti chelidon et tacere desinam? [90]
Perdidi Musam tacendo, nec me Phoebus respicit:
Sic Amyclas, quum tacerent, perdidit silentium.
Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

V. 1. Primum versum *intercalarem* a librario appositum esse eamque ob causam plane abjiciendum jam suspicatus est Scriverius, eique assentiri videtur Buechelerus. [5]) Quæ opinio, quamvis sit falsa, digna videtur, quam examinemus et, si fieri possit, corrigamus vel etiam redarguamus. Facile equidem concesserim, versum illum intercalarem et hoc in carmine et alibi iis, quæ præcedunt, adjungi, ut quasi postludium (ἐπιμελῴδημα, ἐπῳδήν) efficiat, [6]) quemadmodum in fine hujus carminis apponitur, ubi iis, quæ præcedunt, adnumeretur, necesse est. Conferas Catull. Carm. 64: 327 sq.:

Currite ducentes subtegmina, currite, fusi

quem versum intercalarem præcedentibus a poeta fuisse adnumeratum, nemo non videt.

At ex his si quis effectum vult, versum intercalarem numquam iis conjungi posse, quæ sequantur, et eam ob rem ab initio hujus carminis prorsus esse amovendum, næ ille vehementer errat. Hunc enim versum satis constat apud Virgilium, Theocritum, [7]) alios, præludii (προάσματος, προαυλίου) locum obtinere. Virg. Ecl. VIII, 21—61, 68—109. Thocr. Id. I, 64—142, II, 17—68. [8])

---

[5]) Conf. Buech. p. 52.

[6]) Quo commodius sententiam meam exprimere possim, liceat mihi *præludii* et *postludii* uti nominibus.

[7]) Theocritus haud scio an primus versum intercalarem adhibuerit.

[8]) Ille hunc imitatus est, ut jam pridem ostenderunt viri docti, qui Virgilium sunt interpretati.

Forsitan quispiam animadverterit, versum intercalarem illos apud poetas, quos modo nominavi, quotiescumque præponatur, simul postponi solere, eundemque ita mutatum, ut jam ipsa forma hujus versus atque adspectus duplicem ejus indicet usum, ut apud Virg. *Incipe—Decine; Ducite—Parcite;* apud Theocr. *Ἄρχετε—λήγετε,* tum autem semper esse postpositum, quandocumque, sicut in in *Pervigilio Veneris,* sine ulla mutatione identidem repetatur. Quæ animadversio, speciem quandam veritatis præ se ferens, ut redarguatur, satis erit attulisse idyllium illud *Ausonii,* quod *Precatio Consulis* inscribitur, ubi usque ab initio et immutatus repetitur et iis, quæ sequuntur, aperte conjungitur hic versus intercalaris: *"Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol."* Præterea hic versus eo aptior est, qui in exordio carminis ponatur, quippe quum ita positus non sine vi quadam et pondere totum carmen aperiat ejusque sit quasi præconium, quo utens poeta ab omnibus Veneri jam esse pervigilandum et amori indulgendum doceat. Conf. Arnob. adv. gent. VII, 238, ubi hoc est præconium: *Jovis epulum cras est.*

Universa autem versuum intercalarium quæ sit vis et natura, si quærimus, alia prorsus inducitur quæstio, cui breviter respondere conabor. Quæ quidem quæstio hac nostra demum ætate accuratius exquiri coepta est, ut de ea hand injuria dici possit: *adhuc sub judice lis est.* Ut alios omittam, de hac re nuperrime disputavit Otto Frankius in libello, qui inscribitur: *De artificiosa carminum Catullianorum compositione. Berolini MDCCCLXVI.* [9]) Qua in re dijudicanda quantum inter se distent viri doctissimi, si quis cognoscere volet, is legat velim Frankii illum librum, quem modo laudavi, et quidem præsertim pagg. 42, 43, ubi eum, ut ipsius verbis utar, de carmine amoebæo (LXII) quæsiturum magna schematum et sententiarum de genuina ejus conformatione propositarum copia ac discrepantia pæne obruit. Atque de aliis quoque ejusdem generis carminibus ordinandis hand scio an similiter judicandum sit. Verumtamen, ne longus sim, id serte tenendum videtur, poetas latinos in versu intercalari utendo æquabilitatem quandam partium atque congruentiam semper esse

---

[9]) Conf. quæ de eadem re scripsit Otto Ribbeckius: Die symmetrische Composition der Antiken Poesie. Nov. Mus. Helvet. vol. I pagg. 213—242.

Die Symmetrie und Responsion der Sapphischen und Horazischen Ode, Von D:r C. Prien, Professor. Lübeck 1865.

secutos. [1]) Quam stropharum æquabilitatem etiam a Pervigilii scriptore esse servatam, verisimile est; ut a Luciano Muellero dissentiam necesse sit, qui de Catullo et auctore Pervigilii hoc facit judicium: "Porro, vulgo ut notumst, versus intercalares satis inconsinne inseruere carminibus Catullus et auctor pervigilii Veneris. [2])

Videamus igitur, num carmen Pervigilii Veneris, quomodo a nobis est institutum, æquabilitatis illius præbeat vestigia. Ecce hæc formula:

6. 12. 6. 12 (= 4 + 8). **14.** 8. 12. 8. 12.

V. 2. Buechelerus, codici Salmasiano nimis obnoxius ejusque auctoritate nisus, confirmat, h. l. legendum esse *Jovis* pro eo, quod exhibet cod. Pithoeanus: *orbis est.* Quod utrum vere an secus judicaverit, nobis est inquirendum. Atque istam nominativi formam, quæ est *Jovis,* in usu fuisse et quidem frequentius iis temporibus, ad quæ carmen Pervigilii Veneris referendum videtur, sane non est infitiandum. [3]) At vero hoc in versu legendum esse non *orbis* sed *Jovis,* multis ductus rationibus negem necesse est. Toto enim hoc carmine ne minima quidem de Jove ejusque natalibus fit mentio, et mirum quantum ipsum carminis argumentum imminuisset et obscurasset, immo tantum non absurde egisset, si in carmine ad ver verisque Numen celebrandum aperte conscripto et quidem præsertim in ipso carminis exordio Jovem ejusque natales item ad vernum tempus retulisset.

Accedit anomalum, quod dicunt, metrum, cui consulendum est verbis transponendis, id quod vult Buechelerus. Quæ verborum trajectio, quippe quæ in carmine haud facile exoriri possit, ejusmodi mihi videtur, quæ indicet, codici Salmasiano h. l. fidem non esse habendam. Ea autem scriptura, quam exhibet C. P., si nobis erit probata, ne litterula quidem erit vel mutanda vel transponenda. Deinde si hoc carmen statuerimus cantilenam esse popularem, sæpius

---

[1]) Quod ita esse, cur neget Bergkius, admiror, quamquam hunc poetam singulas carminis strophas exæquavisse verisimile esse dicit. Bergk. l. l. p. 14.

Conf. Catulli Veronensis Liber Recognovit R. Ellis. Londini MDCCCLXVI. Præfat. pagg. 7—11. Qui vir doctus quum in compluribus carminibus Catullianis rationem quandam arithmeticam esse adhibitam ostendit, hæc addit: "nec dubito in ceteris horum carminibus eandem συμμετρίαν reperiri posse, quamvis in multis vix discernatur" (l. l. p. II).

[2]) Luciani Muelleri "De Re Metrica" pag. 465.

[3]) Conf. Varro de L. L. 7.

The Age of Petronius Arbiter by Charles Beck. Cambridge 1856. Pag. 132.

a vulgo decantatam, fabulam autem de Jovis natalibus ex arcanis sacrorum Cretensium petitam nec umquam per vulgi ora fuisse pervulgatam,[4] magis etiam elucebit, Buechelero nos assentiri non oportere. Præterea, si ad mythologiam spectamus, aptissima est hæc scriptura: *orbis est*, quippe quæ communibus veterum de prima rerum origine opinionibus quam maxime congruat. Conf. Virg. G. II, 336 sq. Lucr. V, 735 sq., alibi.

In iis, quæ sequuntur, ubi turbatus versuum stropharumque ordo[5] tot tantasque objicit difficultates, quæ aut nullo modo aut certe difficulter superari demique possint, duce potissimum usus sum Buechelero, qui eas et versuum et stropharum ordinandarum causas afferre visus sit, ut eum præ ceteris dignum quodammodo putarem, cui hac de re assentirer ejusque vestigiis insisterem,[6] ita tamen ut, meo semper utens judicio, nonnumquam ab eo discederem, iis nempe commotus rationibus, quas suo quamque loco allaturus essem.

V. 9. Tunc). Versum nonum, qui a particula illa *Tunc* incipit, esse vitiosum itemque male locatum neque posse novam inchoare stropham, inter viros doctos constat, idque jam vidit Lipsius, quem secuti critici alii aliam commendarunt emendandi viam. Nimirum in iis, quæ antecedunt, nihil est, ad quod referri possit illud *Tunc*, id quod et ex ipsa sententia intelligere licet et præcipue ex illa præteriti forma, quæ est *fecit.* Quocirca versus 9—11 aut pro spuriis habendi sunt et plane ejiciendi aut confugiendum est ad eam versuum transpositionem, qua adhibita hi versus præcedentibus commode applicentur. Atqui spurii omnino et appositi quominus hi versus habeantur, tres impedire causas opinor. Primum enim ea, quæ his versibus continentur, quippe quæ ortum Diones (Veneris) commemorent, huic carmini sunt aptissima; deinde non ita sunt comparata, ut interpretationis loco esse possint; postremo particula illa, quæ est *Tunc,* satis ostendit, alium eundemque meliorem versuum ordinem esse quærendum vel, ut planius dicam, eam versuum perpetuitatem indagari oportere, quam principio inter eos intercessisse credibile sit. Quod idem Buechelero, cum

---

[4]) Quod ita esse Buechelerus unus negat.

[5]) Quæ turbatio quomodo exorta sit vel exoriri potuerit, non sine probabilitate quadam ostendere conatus est Buechelerus p. 10 sq.

[6]) Non quin audacius egisse mihi hac quoque in re videretur Buechelerus, eum duxi sequendum, sed quoniam et multa turbata esse videbam nec ipse facere audebam hujus rei emendandæ periculum.

versu 8 conjungenti v. v. 59 sq.,[7] contigisse credo, nisi quod versum 62 spurium sive insiticium esse minime concedo.[8]

V. 60. Ut pater totum crearet vernis annum nubibus). Hic versus et gravi laborat codicum discrepantia et multis multorum emendandi experimentis: *totis* (codd.)— *totum* (Salmasius), *crearet* (C. P.)— *creavit* (C. S.), *vernis* (codd.)— *veris* (Sanadonus)— *vernus* (Pithoeus). Heidtmanno et Bergkio auctoribus legendum esse putavi *totum* (annum), his maxime ductus rationibus: 1) Salmasius ex codice suo hanc enotavit scripturam,[9] 2) alioquin illud *annum* quum inepte careat epitheto, tum ad istud substantivum, quod est *nubibus,* duo referantur adjectiva vel saltem epitheta necesse est. Quæ rei explicatio et nimis contorta videtur et poeta vel mediocriter docto indigna. *Totum* igitur ut scribamus, non *totis,* ipsa postulat sententia neque hæc scriptura in annotatione illa Salmasii gravem non habet commendationem.

— *crearet).* Sic in C. P., quæ scriptura Buechelero, Eichstadio, aliis, placuit, Heidtmanno et Bergkio non item, qui, auctoritate codicis Salmasiani decepti, scriptum velint *creavit.* Nimirum illas verborum formas, quæ sunt *crearet* et *creavit,* in codicibus facillime alteram cum altera commutari potuisse et inter se confundi, nemo negaverit, qui quidem aliquantulum in hac re sit versatus. Nam litteras illas, quæ sunt *r* et *v*, *e* et *i*, et quidem præsertim ambigue et minus accurate scriptas, esse eas, quæ vix discerni possint, id nemo non videt. Codices igitur quum inter se discrepent neque ea præbeant veritatis vestigia, quibus usi ex variantibus scripturis utra utri sit præferenda dijudicari possimus, ad sententiam confugiamus, quæ, hac aut illa scriptura probata, exoritura est. Eam igitur rem consideranti mihi et quam potui diligentissime examinanti, scriptura illa, quæ est *crearet,* multo visa est præstare, ne dicam unice esse veram, si quidem neque cum Buechelero versum 62 ejicere audemus neque illam Bergkii conjecturam *fusus* veram esse aut dignam putamus, quæ illi perfecti temporis formæ, et in codice Salm. exstanti et omnibus fere editoribus probatæ, quæ est *fluxit,* præferatur. Si enim, sicut omnes præter Buechelerum fecerunt editores,

---

[7]) Ejusmodi ingrediendam esse emendandi viam, jam significaverat Otto Muellerus. Conf. Buech. p. 11.

[8]) Buechelerum et in hoc et in aliis nonnullis modum excessisse, id paulo infra satis apparebit.

[9]) Vide Heidtm. p. 58. Buech. p. 55. Bergk. p. 19.

justa codicum ratione habita, retinetur v. 62: *Unde fetus* cet., neque mutatur v. 61, versus ille 60, finalis, ut ajunt, enunciati vicibus fungens, ad v. 59 referatur, eodemque modo versus 62 cum versu 61 conjungatur, necesse erit. Alioquin aut duo exsistent enunciationes, quas dicunt finales, quarum utraque ad v. 61 erit referenda, id quod vix cuiquam probabitur, aut, si cum Heidtmanno legerimus *creavit—fluxit* iisque, qui sequuntur, versibus conjunctus erit v. 60, inter *creavit* et *fluxit* temporis ratio intercedet prorsus inexplicabilis; nam illud hoc tempore antecessisse cogitandum erit. Talem autem rei explicationem fore absurdam, quis est, quin videat? [1])

— vernis). Hæc utriusque codicis scriptura frustra varioque modo tentata a criticis et mutata est. Sanadonus primus commendavit genitivum, quem dicunt, casum, i. e. *veris*, quam scripturam excepit Buechelerus, scilicet quo facilius defendere posset perversum illud *totis.* Pithoeus legendum esse conjecit *vernus*, quod probarunt Wernsdorfius et Eichstadius, iisdem, credo, ducti rationibus, quibus Buechelerus. Codicum scriptura, quæ est *vernis*, placuit Heidtmanno et Bergkio. Atque ceteris præferenda videtur hæc scriptura, quæ et utriusque codicis nitatur auctoritate et sententiam præbeat vel optimam, dummodo illud *totum*, quod tibi commendavimus paulo supra, probaveris atque exceperis.

V. 61—fluxit). Hanc codicis Salmasiani scripturam Bergkius unus in *fusus* vult commutatam. Quod autem C. P. *fluxus* h. l. habere dicit et sub hoc latere suum *fusus* opinatur, næ ille in duplici eoque miro versatur errore; nam neque in C. P. legitur *fluxus* (quæ Lipsii est conjectura), sed *fluctus*, neque aut in hoc aut in illo inest quidquam, unde illud *fusus* "emendari" possit. Præterea quum (v. 62) particulam illam *unde* (conf. v. 73) idem esse velit atque *ex eo tempore*, se rem male intellectam male interpretari aperte ostendit. [2]) Improbanda igitur Bergkii et conjectura et interpretatio. [3])

V. 62). Conf. Virg. G. II, 327. Jam ventum est ad versum, quem, ut supra dictum est, interpolatori vel potius interpreti deberi eamque ob rem e verborum contextu plane esse ejiciendum satis confidenter et metricæ artis nimis anxius vociferatur Buechelerus (p. 12 sq.), quippe quum verbum illud, quod

---

[1]) Conf. Buech. p. 14 extr., 15 init.

[2]) Nam *unde* particula *originem* semper significat, non *tempus*, ut ad v. 73 paulo uberius ostendam.

[3]) Bergk. p. 19. Ibid. p. 8.

est *aleret*, metrum efficiat vel potius pedem (anapæstum), qui prima tertiæ dipodiæ sede positus tolerari nequeat. Atqui tuo jure quæras, quid faciendum sit de versu 55: *Jussit omnes assidere pueri mater alitis.* Non desperandum; nam, si Buechelero credas, ejiciendus hic quoque est versus aliique nonnulli, qui Buechelero aliquid offensionis afferant (conf. v. 35). Facilis sane hæc emendandi via et ratio, si modo hoc re vera est emendare, id quod longe secus esse existimo. [4]

Verum enim vero alii quoque critici iique minime spernendi in hoc versu offenderunt, ut jam videre licet ex variis illis diversisque hujus loci emendandi experimentis, quæ tamen ut irrita sic inutilia sunt ad unum omnia: nihil enim mutandum. Nam si quis a poeta posterioris ætatis eam postulabit rei metricæ severitatem atque integritatem, quam ne optimos quidem apud poetas servatam esse invenias, modum sane is excesserit. At vero ne ad hanc quidem excusationem confugere opus est. Terentium apello, cujus poetæ auctoritati Buechelerum quoque multum tribuere credo. Nam Ter. Andr. 2, 2, 1 (338 ed. Clotz.) hic legitur versus:

Di boni, boni quid porto? sed ubi inveniam Pamphilum.

Vides igitur in versu ejus prorsus generis, de quo nunc agitur, eodemque in pede anapæstum adhiberi, quod fieri umquam posse negat Buechelerus. [5] Jam vero si hunc versum metricæ rationi non repugnare concedendum est, de metro non ulterius esse dubitandum atque nihil inde ad fidem hujus versus infirmandam repeti posse sequitur.

Ac ne quis festinantius nos agere jure contendat, id quoque videamus, num reliquæ argumentationis Buechelerianæ parti plus confidere liceat. "Quum enim, inquit, Virgilii illa de eadem fabula verba in margine scripta essent comparanda ad Pervigilii v. 60, in continuum carminis ordinem ita librarius adscivit, ut, quantum fieri poterat, redigerentur ad trochæos" cet. [6] Quod ita factum esse nego. Librarius enim, si ignarus fuisset et litterarum rudis, in metro minime offendisset; eruditus autem versum illum Virgilianum habuisset cognitum, neque ei carmini, in quo transcribendo versabatur, verba aliena atque ea cor-

---

[4]) Quod pace doctissimi illius viri dixerim; nam me ad eum esse tironem, non nescio.

[5]) Buech. p. 13. Conf. Lucian. Muell. in Annal. philol. 1861 p. 643, ubi alia ejusdem rei exempla invenias. Freium, Mus. Rhen. 1856 p. 210.

[6]) Buech. p. 14.

rupta obtrudere studuisset—denique talis librarius intellexisset, verba illa in margine scripta hexametrum esse atque pro interpretatione habenda. Præterea id mirandum, quænam sit causa, cur h. l. tanti esse Buechelero videatur corrupta illa codicis Pithoeani scriptura, quæ est *Ut*, quamquam in ceteris huic codici nihil fere auctoritatis concessum vult. [7])

V. 9—11). Hi versus, qui editores et quidem maxime novissimum quemque vexarunt, in codicibus haud dubie sunt turbati vel saltem perverso verborum ordine laborant. Ac quum longum sit omnes, in quibus versatur hic locus, difficultates enumerare, satis erit ostendisse, quid sit, quod maxime impediat, quominus immutata retineri possint sive verba ipsa sive verborum ordo.

Ante omnia apertum est, hæc vocabula: *cruore de superno* et *spumeo — globo* non posse inter se conjungi; hæc enim quum non possint, appositionis, ut ajunt, in loco posita, ad illa referri, aut repetenda erat præpositio, ut recte monet Bergkius, aut conjunctio copulativa erat necessaria, quod ipsum intelligens Dousa legendum esse *ac spumeo globo* haud inepte conjecit. Exsistet quidem hoc modo synaloephe, quam dicunt, in hoc carmine non ita usitata, quæ tamen ferri posset, dummodo sic in liquidum perducta esset res. Atqui v. 11 hæc leguntur: *de maritis imbribus,* quæ vocabula, si nihil mutatur, id ipsum significent necesse est, quod v. 9 per illud *spumeo — globo* jam dictum est. Quod quam sit absurdum, nemini non apparet. An quidquam aut per se ineptius aut poeta indignius esse potest, quam eodem enunciato eandem prorsus rem *bis* exprimere? [8]) At sit sane hæc quoque difficultas superata, id quod minime concedo, restat tamen quæstio non minima illa quidem, num substantivum illud, quod est *imbres,* eandem fere umquam habeat vim atque habet *undæ* i. e. maris aqua, quod fieri posse haud scio an recte negaverit Buechelerus. [9]) Nam illud *imber,* quandocumque maris aqua significat, aut cum epitheto, quod dicunt, conjungi solet, ut *Neptuni* (Ennius), *æquoris* (Ovidius), *spumeus* (Val. Flacc.), aut in hac voce aliquid inest vehementiæ, roboris, molis, id quod in hunc locum minime convenit. [1])

[7]) Conf. Buech. p. 7. Bergk. p. 4.

[8]) Conf. Buech. p. 17.

[9]) Buech. p. 18 sq.

[1]) Ne locus quidem Virg. A. I, 123 vulgari illud *imbres* interpretandi modo quidquam præbet adminiculi; nam epitheton ut plane inutile erat et otiosum, sic illa vehementiæ, roboris, molis significatio hoc etiam loco adest.

Hæc si recte disputata sunt, aliquid h. l. mutandum esse sequitur. Sed ex iis, quæ supra disputavimus, id quoque effectum volumus, participium illud *undantem* cum vocabulis, quæ sunt *de maritis imbribus,* non esse conjungendum; quod tamen non ita est accipiendum, quasi dicam, *undantem* simpliciter apellari posse Venerem, id quod etiam minus convenire Bergkius recte contendit.

In tot tantisque difficultatibus non est mirandum, multos multa rei expediendæ fecisse experimenta, quæ longum erat omnia enumerare. Una tamen conjectura tanti esse videtur, quæ præ ceteris commemoretur, eam dico, quam primus proposuit Andreas Rivinus: *marinis* pro eo, quod est *maritis.* Quæ conjectura sagacissime est excogitata illa quidem; sed quamquam complures nacta est patronos, tamen est reprobanda. [2]) Neque probanda est Orelliana hujus loci explicatio: *"undantem huc illuc per marinos fluctus,"* quod jam ex iis efficitur, quæ ad illud *imbres* recte explicandum paulo supra proposuimus. [3])

Ex quibus omnibus concludere licet, aut hunc locum conjecturali arbitrio esse relinquendum, ut vult Buechelerus, aut quandam versuum verborumve perturbationem jam in codice archetypo exstitisse. Ac mihi quidem hoc quam illud et veri similius videtur et ad vitium demendum tutius, quippe quum sic fieri possit, ut simul et ulcera sanentur nec codicum vestigia deserantur. Ejusmodi horum versuum ordinandorum viam accutissime excogitavit et nobis monstravit Bergkius, vir ille spectati judicii, posteriorem 9 et 11 versuum partem inter se et commutatas et commutandas esse docens. [4]) Quæ quidem hemistichiorum commutatio quomodo principio exstitisse putanda sit, id non significavit Bergkius, at vero quæ sic evadet simplicissima sententia et aptissima, Bergkio assentiendum esse, quam planissime testatur. Neque vero quisquam hanc agendi rationem suo jure dicet dissolutiorem esse et nimis violentam, quippe quum de eo agatur loco, qui, quamvis maximas et pæne insuperabiles objiciat difficultates, hoc tamen modo, ne litterula quidem mutata, facillime in

---

Horatius quidem quatuordecies, quantum scio, *imber* substantivum usurpavit, neque tamen usquam pro *aqua maris.* Conf. Buech. p. 19.

[2]) De qua re conf. Buech. p. 20 sq.

[3]) Conf. Orell. l. l. p. 234. Buech. p. 17 sq.

[4]) Vide Bergk. p. 6.

integrum restitui possit. Ipsa autem transpositio eo facilius irrepsisse potuit, quo minus alterum hemistichium ab altero fuit remotum. Neque est, cur in eo offendamus, quod versu 9 exitum versus quarti iteratum reperiamus, id quod sæpius et quidem in lyrica potissimum poesi fieri videmus, ut recte animadvertit Buechelerus pag. 20 sq.

V. 72.—Romulēas). Ecce rursus habemus versum (conf. v. 62), qui Buechelero valde displicuerit dignusque visus sit, qui aboleatur, spreta codicum auctoritate. Quæ agendi ratio ut semper lubrica et periculosa sic, id quod gaudendum est, uni Buechelero probata. Vulgo h. l. legitur: *Romulēas ipsa fecit* cet., ut habet uterque codex. Ac producta illa vocalis *e*, quam in adjectivo *Romulēas* invenimus, jam pridem viris doctis injecit suspicionem et multa multorum provocavit emendandi pericula. Quam codicum scripturam defendere conati sunt Sanadonus et Freius, reprobarunt ceteri omnes, quibus non possum non assentiri. Nam illud *Romulēas* vocabubum, cujus pænultima syllaba est producta, adeo est insolitum et singulare, ut non solum *ἅπαξ εἰρημένον,* quod dicunt, sed absonum etiam et perversum habendum sit, id quod jam vix quisquam negaverit. Veram autem scripturam et genuinam quum illi, quæ est in codicibus, non absimilem fuisse credibile sit, Lindemanno et Bergkio auctoribus legendum censeo *Romulas,* præsertim quum apud omnes fere Latinorum poetas nomina propria, quæ dicuntur, in adjectiva sæpissime mutata videam: *Dardanus* Hor. Od. 1, 15, 10. *Pompilius* ibid. A. P. 292. *Danais* Virg. A. III, 602. *Dardana* ibid. II, 618. *Actia* ibid. III, 280. *Sichæus* ibid IV, 552. *Romula* ib. VI, 876. *Assaracus* ib. VI, 778. Conf. *Marsus, Medus, Italus. Picenus,* alia.

Atque illud etiam Lindemanno (editori Lipsiensi) et Bergkio consentio, quod post *Romulas* capulativam illam conjunctionem, quæ est *et,* inserunt, ut hic exsistat versus: *Romulas et ipsa fecit* cet. Hinc monstrum illud *Romulēas,* in quo operam et oleum perdiderunt critici; nam omissa conjunctione factus est versus una syllaba brevior, quod vitium ita demi posse putarunt, si tetrasyllabum adhiberent adjectivum, quod idem pænultimam syllabam haberet productam. Quid mirum? Hoc enim aliaque ejusdem figurationis adjectiva ex iis Græcorum adjectivis profecta esse sibi persuaserunt, quæ in — *εῖος* desinerent, i. e. eodem prorsus modo esse ficta, quo *Pythagorēus, Epicurēus, spondēus,* alia.

Jam vero quod *nuptias facio* idem esse opinatur Buechelerus ac *matrimonium ipse ineo*, [5]) facilius etiam ad refellendum illud quidem est. Hæc enim dicendi formula et alibi invenitur et Plaut. Aulul. v. 217 sq., ubi hæc leguntur:

— — — — — — — — — — — *Sed nuptias*

Hodie quin faciamus, num quæ causa est?

Jllud *quin nuptias faciamus* h. l. idem esse atque: *quin ea paremus, quæ ad nuptias opus sunt*, id per se intelligitur, quippe quum inter se colloquantur Evclio et Megadorus senes, quorum neuter in matrimonium duci posset. Conf. quod statim sequitur *parabo*. Conf. Ter Andr. 595 (III, 4, 15). Plaut. Cas. 377, ubi animadvertenda est præpositio *cum*. Neque tamen hoc ita intellectum velim, quasi contendam, illud *nuptias facere* numquam idem fere significare ac *matrimonium inire* (Plaut. Aul. v. 244 sq.); hæc autem significatio quum nec illius dicendi formulæ propria sit et aliam interdum necessario poscat et flagitet interpretationem, ut paulo supra conatus sum ostendere, ea, quæ ad hujus versus fidem labefactandam disputat Buechelerus, nihili esse videntur. [6])

V. 74. Romoli matrem cet.), quod uterque habet codex, corruptum esse, jam pridem viri docti statuerunt, neque quisquam hoc quidem tempore iis non consentit; sed ex codicum indiciis suo quisque modo veram scripturam invenire studet. Mihi quidem sufficit facillima Lipsii emendatio *Romuli patrem*, quæ nec multum a codicum scriptura recedat et sententiæ maxime convenire videatur. [7])

Buechelerus legendum esse censet *Romulum patrem*, quam eandem emendationem Bergkius quoque probat, ita tamen, ut post *Romulum* inserat *ut* particulam, quod ad faciendum coactus fuisse videtur, partim 71 versui versum 74 præpostere continuans, partim versum 73 male intelligens: nam neque hic versus ex duobus septenariis temere est conglutinatus, [8]) neque particula illa,

---

[5]) Buech. p. 23 extr. sq.

[6]) Incaute igitur et injuste Buechelerus: Et, inquit, ut horum virorum opera frustra fuit, ita posthac quicunque emendare *Romuleas* tentabunt, veror ne periclitentur fama ingenii: totum enim versiculum 72 iterum commoneo carmine summovendum esse. Buech. pag. 27. Conf. Bergk. pagg. 7, 8. Lindem. pag. 21.

[7]) Buechelerus quum, ut solet, in hoc quoque loco emendando, spreta omnino codicum auctoritate, totum v. 72 ejiciat, sane non est audiendus. Si enim difficillimum quemque versum ejicere licebit, quis non poterit emendare? Conf. Buech. pagg. 28—32.

[8]) Vide Bergk. p. 7.

quæ est *unde* (conf. v. v. 61, 62) notat tempus, a quo quid coeptum est fieri. [9]) In duplici igitur errore hunc versum tractans versatur Bergkius. [1])

V. 15.) C. S.-*innotos penates,* C. P. *in totos pentes,* quod Bergkius ita vult mutatum, ut *in penitos penates* scribatur. Quam conjecturam veram esse et genuinam scripturam etsi affirmare non ausim, animadvertenda tamen videtur. Nam *penitus* adjectivum haud inepte referri videtur ad *penates,* quippe quos in penetralibus reconditos haberent Romani quique eo nomine appellarentur ideo, quod *penitus* insiderent (Cic. N. D. II, 27). Atque latere poterat illud *penitus* sub codicis Salmasiani scriptura *notos* = —*nitos,* cujus prima syllaba *pe*— excidisse putanda erat. [2]) Neque tamen ab iis, quæ vulgo præbent editores, ausus sum recedere, quamquam aliquod latere vitium ingenue me confiteor suspicari.

V. 21). In hoc quoque versu tractando a codicibus omnino recessit Bergkius, pro eo, quod in codicibus est *humenti,* legens *e tereti,* [3]) quæ conjectura ut per se est sententiæ apta et explicatu facilis, ita nulla codicum nititur auctoritate. Atque codicum scriptura quum facile defendi possit, nihil mutari præstat.

V. 26). Hic versus tanta et metricæ artis et grammaticæ laborat difficultate, ut haud sciam, an de vulgari ejus statu sit desperandum. Hoc igitur loco meam quandam ingressus sum emendandi viam; quo in genere num quid ego quam ceteri probabilius excogitaverim, non penes me erit judicium.

Ut reliquas vel variantes codicum scripturas vel conjecturas criticorum alias aliis probabiliores omittam, in C. P. legitur *nodo,* unde deductum volo adjectivum *nuda,* quod epitheti loco ad illud substantivum *marita* referri debet. Quam conjecturam si probaveris, trajectio verborum alioquin propter metrum necessaria, id quod rectissime intellexit Buechelerus, [4]) non opus erit. Deinde si codices eorumque scripturas spectamus, in omnibus omnium emendandi experimentis nullum quam hoc a codicum auctoritate propius abesse videtur aut ad explicandum esse facilius.

---

[9]) Suam particulæ *unde* interpretationem Bergkius nullo firmavit exemplo, neque id mirum, quoniam nusquam apud meliores saltem Romanorum scriptores illud *unde* notat tempus, id quod multis dedita opera ex multis scriptoribus collectis exemplis contendere audeo. Vide particulam *unde* in Krebsii Antibarbaro Latino. Conf. quæ dixi ad v. 61.

[1]) Bergk. pagg. 7, 8.

[2]) Conf. Bergk. pag. 20.

[3]) Bergk. p. 20.

[4]) Nam illud *noto,* si modo sit probandum, substantivi loco habendum esse, apparet.

Forsitan quispiam mihi objecerit nullum hoc modo fore substantivum, ad quod illud *unico* referri possit. Ad quod quid respondeam dubius non hæreo; nam neque adjectivum *unicus* cum quovis substantivo conjungi solet, sed potissimum tribus illis, quæ sunt *filius, filia, maritus,* id quod nemo nescit, et ipsa verborum perpetuitas facilisque intelligentia omni occurrit ambiguitati; unde fit, ut substantivo, quod est *maritus,* facile carere possimus. Conf. Plaut. Capt. v. 147, 150, ubi eodem fere modo omissum invenias substantivum *filius,* quod ex verborum perpetuitate intelligendum sive supplendum est.

V. 35. Totus est cet.) Buechelerus quamquam hunc quoque versum reprobavit, tamen in verborum perpetuitatem recepit talem, qualis a Scriverio et Bouherio verbis transponendis est emendatus:

Est in armis totus idem, quando nudus est Amor.

At nihil mutandum, nisi quod, ut vulgo editores, pro scriptura codicum aperte corrupta *inermis* legendum est *in armis.* Etenim quod hunc versum (propter spondeum tertia sede positum?) metricæ arti repugnare dicit Buechelerus, eodem prorsus in eore versatur, quo jam ostendi ad v. 62, ubi conferas velim versum illum Terentianum a me laudatum.

V. 58 — ducat). Bergkius legendum censet *duplicat.* Quo jure, videamus. Quæ ejus conjectura sagacissime excogitata illa quidem est et in memoriam reducit Virg. Ecl. II, 67; sed tamen magis a codicum indiciis abhorrere videtur, quam quæ vulgari et utriusque codicis testimonio valde commendatæ scripturæ, quæ est *ducat,* præferatur. Nam C. P. habet *ducat umbras,* C. S. *duo adumbra,* quod, quamquam est corruptum, tamen manifesta veræ scripturæ et nativæ præbet vestigia.

Jam vero quod *nemus ducere umbras* Latine dici posse pro eo, quod est *induere,* negat Bergkius [5]), hoc ita esse ei concedendum non credo, etsi alios apud scriptores hæc duo vocabula nusquam inveni conjuncta. Si enim Latine dicitur *ducere colorem* (Ovid Met. III, 483), *ducere pallorem* (ib VIII, 761) cet., sane non esse videtur, cur illud *ducere umbras* nos offendat.

V. 46. Te sinente). C. S.: *De tinente;* C. P.: *Detinent et.* Neque hujus nec illius codicis scriptura digna esse videtur, cujus patrocinium suscipias, quamquam editores complures, in quibus Wernsdorfius, barbarum illud *De*

---

[5]) Bergk. p. 10.

tinente idem fere atque *uno tenore* sive *continuo* significare posse falso putarunt. [6]) At vero, ut alios omittam, Heidtmannus et Buechelerus ea, quæ habent codices, in *detinenda* emendarunt, in qua emendatione et quidem præsertim cum illo *perviglanda* participio conjuncta molestam ejusdem rei repetitionem vides. Quocirca Theodorus Bergkius, qui, quantum scio, hoc carmen tractandum novissimus suscepit, non sine jure aliam emendandi rationem ineundam esse sibi persuasit. Quæ autem ei placuit emendatio *detinet se* (deus), ut probanda sit, admodum vereor; nam *se detinere* nusquam usurpatum invenias pro eo, quod est *procul moratur*, ut pag. 20 interpretatur Bergkius; sed idem potius significat ac *se sustinere.* Conf. Tac. An. VI, 23. Quid multa? Ex omnibus omnium emendandi experimentis longe præstantissima est emendatio illa Sanadoniana: *Te sinente,* [7]) de qua non inepte Wernsdorfius: "quæ, inquit, sane non displicet lectio." Recte vero: nam neque hæc emendatio quam ceteræ a codicum scriptura magis recedit, neque sententiæ quam maxime non convenit. [8]) Quid enim quam illud *Te sinente* i. e. *tua venia* hoc præsertim loco aptius est, ubi Diana (virgo Delia, v. 38) rogatur, ut se cruentosque venandi tumultus (v. 39) ab eo amoveat nemore, in quo jam festum ad ver verisque deam celebrandam per tres noctes sit peragendum?

V. 52). C. S.: Hibla florum superestem quantus et nec campus est. C. P.: *Hibla florum rumperes tequant' ethne campus est.*

In hoc versu tanta et codicum est dissensio et criticorum, ut summo jure Heidtmannus hoc de eo fecerit judicium: "infinitus fere, inquit, est de hoc versu conjecturarum numerus". [9]) Attamen in tanta illa conjecturarum mole nulla omnino mihi quidem satisfacit, quamquam mearum virium non est nodum expedire. Crusius quidem *sume vestem* esse legendum primus conjecit, eaque emendatio ut plurimis probata est criticis, sic e corrupta codicum scriptura non potest non deduci, id quod probabiliter ostendit Heidtmannus pagg. 57, 58. Hanc igitur emendationem, etsi non omni dubitatione exemptam, ceteris tamen præferendam duxi. Verumtamen facilius etiam erat ex codice Pith. illam a Lipsio propositam multisque probatam conjecturam *rumpe vestem* deducere,

---

[6]) Wernsd. Poet. Latt. Min. Tom. III, pag. 473.

[7]) Eamque emendationem Lindemannus et Riglerus probaverunt.

[8]) Hac igitur de re ab Orellio me dissentire confiteor. Conf. Orell. l. l. pag. 236.

[9]) Heidtm. pag. 27.

dummodo nihil obstaret. Sunt tamen, quæ obstent. Nam prima syllaba illius vocabuli, quod est *rumpe,* ex ultima præcedentis vocis syllaba per dittographiam, ut ajunt, exorta videtur; [1]) deinde haud scio an illud *rumpere vestem,* quippe quod alibi nusquam inveniatur, pro idiomate, quod dicunt, esset habendum eamque ob rem ut per se suspectum, ita interpretatu difficillimum. Quæ quum ita sint, in illa Crusii emendatione hactenus acquiescendum erit, usque dum aliquis probabilius aliquid invenerit.

V. 81). Bergkius quum e codicum scriptura, quæ est *aonii,* deductum vult *Fauni* pro Pithoeana illa emendatione *tauri,* quam "probaverunt ad unum omnes," intelligentiam loci plane neglexit. Nam, ut alia taceam, quid sibi velint *Fauni* inter *balantum greges, canoras alites, loquaces cycnos,* non intelligitur. [2])

V. 90). In hoc quoque versu mirum quantum inter se discrepant et codices et emendatores. C. S.: *Quando fiam ut cælidonut tacere desinam.* C. P.: *Quando faciam* [3]) *ut celidon ut taceret desinam. Bis* igitur in uno eodemque versu repetitam invenimus particulam *ut,* cujus rei exempla, loco illo Virgiliano Buc. VIII, 42 uno excepto, [4]) alios apud poetas frustra quæsivi. [5]) Accedit metrum mendosum, quo laborat versus. Ad quæ demenda vitia alterum illud *ut* Rivinus in *uti,* alterum in *et* Bouherius primus correxit. Quarum emendationum, quippe quæ et cautissime factæ et prope necessariæ videantur esse, utramque in verba scriptoris recepi. Ceteri editores sive emendatores suam quisque emendandi viam ingrediendam putaverunt, [6]) nullius, me judice, satis successit negotium. Atque Græcam illam vocem, quæ est *chelidon,* [7]) cur a multa multorum et injusta reprehensione et interpretatione perversa defendere coner, non esse videtur, quum et in hoc ipso carmine alia ejusdem generis exempla reperias

---

[1]) Conf. Heidtm. pag. 57.

[2]) Conf. Annal. Philol. 1861, pag. 650.

[3]) *Faciam,* quod habet C. P., id jam propter metrum est reprobandum.

[4]) Conf. De particula *ut* simplici et copulata. Scripsit Fredr. Em. Braune. Lundæ MDCCCLXVI. Pag. 15.

[5]) Apud prosæ orationis scriptores ejusmodi reperiri exempla, non nego. Conf. Reisigii schol. pag. 566. Seyff. ad Læl. pagg. 381, 427.

[6]) De qua re conf. Buech. pag. 47 sq.

[7]) Nomen hoc mulieris cujusdam esse proprium, quod voluerunt nonnulli, id nemo sibi facile persvadebit, qui quidem animadverterit, quam aperta de illa Procnes et Philomelæ fabula fiat mentio.

(*throno* v. 7, *cycni* v. 58) et inter omnes satis constet, quam sæpe quamque licenter poetæ istius temporis in Latino sermone Græca vocabula inculcaverint,[8]) eodem fere et modo et jure, quo apud nos haud ita multo ante hanc ætatem non sine festivitate quadam et elegantia Suethice loquentes Gallicis et vocabulis uti et sententiis sibi videbantur nonnulli.

Jam postquam universum carminis contextum tractavi et, ut potui, emendavi, ad alteram et quidem non minus difficilem carminis partem transeo, eam dico, quam ad historiam et mythologiam pertinere supra dixi.

Quemadmodum omnis omnino Romanorum poesis, si satiram exceperis[9]), magna ex parte Græcæ est imitatrix, sic fabulæ, quas tractant poetæ Romani, omnes fere aliunde in Italiam sunt translatæ. Neque aliter de Veneris fabula statuendum est. Illam enim deam non antiquis temporibus cognitam Romanis fuisse, nedum cultam, auctores nobis sunt Cincius (Cingius) Alimentus et Varro, quorum ille testatur nullam hujus deæ in carminibus Saliorum mentionem fieri, hic nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Græcum fuisse affirmat.[1]) Quæ eorum narratio inutilis foret et falsa, si et nomen *Aprilis*, teste Ovidio, ex Græca Veneris appellatione, quæ est *Ἀφροδίτη*, sive ex Græco illo substantivo *ἀφρός*, deducendum esset et iste mensis jam a Romulo secundus anni mensis esset constitutus;[2]) sed neque ejusmodi derivandi ratio non est absurda neque opinio illa Ovidiana, quæ Varronis temporibus multis probata fuisse videtur, ab eodem illo Cincio, quam modo laudavi, debilitatur vel potius redarguitur. Is enim nos docet, si qui mensis ex aliquo numine esset denominandus, fieri oportere, ut festum sollemne, isto mense ageretur, id quod Veneri antiquis temporibus contigisse negat.[3])

---

[8]) Conf. De L. Apulejo, scriptore Latino, Adversaria, quæ p. p. Mag. Chr. Cavallin. Lundæ MDCCCLVII. Pag. 51 extr.

Anonymi Orestis Tragoedia emendatiorem edidit Jacobus Maehly. Lipsiæ MDCCCLXVI. Pag. 13.

Buech. pag. 45 sq.

[9]) Quintil. Inst. Or. X, 1, 93: "Satira quidem tota nostra est."

[1]) Macrob. Sat. I, 12.

[2]) Ovid. Fast. IV, v. 13 sq., 61 sq. Prell. Mythol. Rom. pag. 391 annot.[1]) Hor. Od. IV, 11, 15. Pluth. Qu. R. XX. Num. 19. Ed. Wyttenb. Macrob. l. l.

[3]) Macrob. Sat. l. l. Beckeri Antiquit. Rom. P. IV pag. 320.

Conf. J. D. Hoegg: "De vetustissimo, quo Romani usi sunt, anno. Arnsberg 1857. Pagg. 7, 8.

Commemorantur quidem apud Ovidium [4]) et in nonnullus calendariis Romanis sacra Calendis Aprilibus Veneri peracta, quæ tamen nec huic, quod tractamus, pervigilio conveniunt et posterioris esse originis videntur, quod haud scio an etiam ex hoc Macrobii loco colligere liceat: "Non tamen negat Verrius Flaccus hoc die *postea* constitutum ut matronæ Veneri sacrum facerent." [5]) Ea igitur Veneris cognomina, quæ antiqua habentur, ut *Murcia, Cloacina,* alia, nisi nomina, quæ dicunt *propria,* numinum Veneri cognatorum consimiliumque non esse videntur; quæ numina quo magis Veneri erant similia, eo facilius cum hac dea confundi et coalescere poterant. [6]) Neque tamen major quædam ætas et vetustior Romanæ Veneri abjudicanda, quippe quum et ipsum Veneris nomen a prisca radice Latina deducta videatur [7]) et Venerem cultam fuisse apud Latinos constet, [8]) unde Venus postea Romam translata a Romanis quoque coepta est coli. Quod quando factum sit, non satis liquet. Id tamen certum videtur, ad posteriora usque reipublicæ tempora permodicos honores Veneri apud Romanos fuisse, istis autem a temporibus et augeri coeptum esse hujus deæ cultum et Græco ritu indui. [9])

Fabius quidem Gurges post peractum bellum Samniticum Venerem Obsequentem, quam Itali Postvotam dicebant, consecrasse dicitur, quod sibi fuisset obsecuta. [1]) Deinde quum primo bello Punico Romani cum Segestanis foedus fecissent eosque consanguineos cognovissent, [2]) Venus Erycina in urbem est recepta et illa de Aenea fabula inter Romanos increbrescere coepit. Cui deæ Quintus Fabius dictator anno 217 templum vovit et duos post annos ædificavit. [3]) Atque consentaneum est Veneris cultum eodem inter Romanos adolevisse incremento, quo illam opinionem, ipsos per Aeneam a Venere ipsa ducere

[4]) Ovid. Fast. IV, 133 sq. Conf. Pluth. Num. 19.

[5]) Macrob. Sat. l. l.

[6]) Conf. R. Merkelii Ovid. Fast. Præfat. pag. CCXLVI.
Plutharch. Qu. R. 20.

[7]) Prell. Myth. Rom. pag. 383.

[8]) Strab. V, 232.

[9]) Vide Merkel. l. l.

[1]) Serv. ad Virg. A. I, 720. Liv. X, 31.

[2]) Cic. Verr. IV, 33, alibi.

[3]) Ovidius quum post expugnatas per Marcellum Syracusas anno ante Ch. n. 212 hoc factum esse dicit (Fast. IV, 873) haud scio an fallatur. Vide G. E. Gierigii in hunc locum annotationes.

originem, et ante omnes Julia illa gens, hujus deæ progenie glorians, [4]) et ipsa matrem illam Aeneadum coluerit [5]) et alios ad Venerem colendam commoverit necesse est, quo magis magisque suam ipsius majestatem potestatemque stabiliret. [6]) Ac quomodo Venus ex dea Juliæ gentis familiari totius populi Romani facta sit dea, ex his maxime scriptorum Latinorum locis intelligere possis: Cic. Mil. 31. Svet. Cæs. 6. Ibid. 49. Ovid. Fast. IV, 19 sq., 39 sq. Cic. Fam. 8, 15. Sil. Ital. IV, 133. VII, 87. XII, 324. Macrob. Sat. I, 12. Arnob. IV, 35, aliis. [7])

Cetera Veneris cognomina, posteriore reipublicæ tempore et sub imperatoribus usitata, ut omittam, maxime memorabiles sunt Veneris *victricis* et *genitricis* appellationes, quæ jam Cæsaris tempore in unam confusæ sunt. [8]) Atque quum in hoc, in quo tractando versamur, carmine de nuptiis agatur Aetheris et Telluris, ex quorum divino connubio nata Venus omnem rerum naturam renasci et nova quasi vita frui jubet, pro certo haberi potest, Venerem, cujus in hoc carmine fit mentio, esse Venerem genitricem sive matrem illam Aeneadum. [9])

Pervigilii vocabulum primitus et proprie *totam per noctem vigilationem* notat, deinde autem *festum sollemne* in numinis cujusdam cultu occupatum, quod festum si non totam per noctem, at maximam ejus partem durabat. Quapropter id sacrum nocturnum, quod a media demum nocte incipiebat (cujus rei exempla nonnulla inveniuntur), non erat pervigilium. Alia interdum apud Romanos eidem rei imponebantur nomina, ut *vigiliæ* (Plaut. Aul. prol. 36. Ibid. IV, 10, 65), *nocturnæ pervigilationes* (Cic. Legg. II, 15) cet. A Græcis, apud quos multo sæpius pervigilia celebrata esse constat, ejusmodi nox festiva appellabatur *παννυχίς* (Herod. IV, 76), *διαπαννυχισμός* (Dion. Hal. II, 19) [1]) cet.

---

[4]) *Αἰνείας ἡμῖν ὁ Τρὼς ὁ βασιλεὺς τῆς πολιτείας ἐξάρχει Αἰνειάδαι τε ἡμεῖς ἐξ ἐκείνου καλούμεθα.* Justin. Nov. XLVII. Conf. annot. 9.

[5]) Svet. Cæs. 6. Prell. Myth. Rom. pag. 389. Tac. An. IV, 43. Tertull. Apol. 9.

[6]) Conf. Heidtm. pag. 7.

[7]) Conf. Prell. Mythol. Rom. pag. 391.

[8]) Prell. ibid. pag. 389. Conf. Merk. l. l. Plut. Paral. 37.

[9]) Cui deæ in proelio Pharsalico templum vovisse et postea ædificasse dicitur Cæsar. Dio Cass. XLIII, 22. Conf. Svet. Cæs. 6. 49. 61. 78. Plin. H. N. XXXV, 12. Wernsd. Poet. Latt. Min. V, P. 3 pag. 1466. Buech. pag. 41.

[1]) Conf. Lysandri Hist. Litt. Rom. pag. 108.

Apud Græcos, ut modo dixi, pervigilia vel saltem sacra nocturna multo erant usitatiora (Aristoph. Ran. 446. ed. Meinek.); [2]) sed in his quantum contra bonos mores peccatum sit, multis ex locis colligi potest. [3]) Romani igitur diu omne sacrorum nocturnorum genus suo jure aversabantur; [4]) quare Cicero, vir ille rerum Romanarum amantissimus, in libro, qui inscribitur *Leges*, [5]) nisi quæ ad Cereris cultum pertinerent, nulla sacrificia nocturna muliebribus vult concessa, et Dionysius Halic. id Romanorum laudat, quod mysteria occulta et pervigilationes virorum cum muliebribus institui non liceret. [6]) Græcis autem Romam invectis moribus pervigilia eorumque vitia sensim obrepserunt. [7]) Qui tamen cultus quantum etiamtunc Romanorum moribus repugnaverit, facile intelligitur ex severitate, qua senatus anno ante Chr. n. 186 Bacchanalibus initiatos persequebantur, [8]) donec imperatorum temporibus, lapsa omnino antiqua illa morum integritate, pervigilia omnibus sine ullo generis discrimine concessa sunt vel etiam indicta. [9])

Ex quibus omnibus, si non necessario, at satis probabiliter effici mihi persuadeo, hoc Pervigilii carmen ad imperatorum tempora esse referendum, id quod paulo infra uberius ostendere conabor. Nam duplex nobis restat via, qua ingredienda conjicere liceat, quo tempore scriptum sit hoc carmen: partim ex iis, quæ aut aliis ex poetis sumpsit Pervigilii scriptor aut ex hoc illi, partim ex ipso scribendi genere.

Versum Pervigilii 81 sumptum esse ex Calpurnii Ecl. I v. 4, 5:

Cernis, ut, ecce, pater, quas tradidit, Ornite, vaccæ
Molle sub hirsuta latus explicuere genista,

aut negant viri docti, [1]) aut in contrarium vertendum putant, [2]) id quod mihi

---

[2]) Conf. libros, quibus antiquitates Græcorum continentur.

[3]) Plaut. l. nuperrime laud. Cic. Legg. II, 14. Gell. II, 23. Tac. Hist. II, 63.

[4]) Conf. Serv. ad Virg. A. IV, 303: — — — sacra nyctelia — — — quæ populus Romanus exclusit causa turpitudinis.

[5]) Cic. Legg. II, 9. Conf. Heidtm. pag. 8.

[6]) Dion. Halic. A. R. II, 19: *οὐ βακχείας καὶ τελετὰς ἀποῤῥήτους, οὐ διαπαννυχισμοὺς ἐν ἱεροῖς ἀνδρῶν σὺν γυναιξίν.*

[7]) Tac. An. XV, 44. Tib. I, 6, 22. Buech. p. 49.

[8]) Cic. Legg. II, 15. Conf. Lysandri Hist. Litt. Rom. p. 108.

[9]) Svet. Cal. 54. Galb. 4.

[1]) Lindem. pagg. 3, 4. Buech. pag. 50.

[2]) Orell. pagg. 117, 118.

quidem videtur veri similius. Ex hoc igitur versu concludi nequit Calpurnium scriptore Pervigilii ætate fuisse inferiorem. Id autem omnes fere concedunt, scriptorem Pervigilii majorem fuisse natu quam Fulgentium, qui Pervigilii v. 15 sq. imitatus est vel potius transcripsit (Mythol. I, 11):

Quando guttas florulentæ mane rorant purpuræ,
Humor algens, quem serenis astra sudant noctibus.

Quod autem scriptor Pervigilii versus nonnullos Virgilii aliorumque ejusdem temporis poetarum ante oculos habuit et imitatus est, [3]) id hanc certe ad rem nihil fere attinet, quippe quum hos scriptores ætate multo antecessisse satis constet.

At genus scribendi si consideraveris, miram quandam similitudinem inter Apulejum, Tertullianum, alios ejusdem generis scriptores et Pervigilii poetam intercedere intelliges; ut Afrum fuisse hujus carminis scriptorem haud inepte sibi persuaserint Orellius, Heidtmannus, alii. Quod ita esse et ex verborum sententiarumque luxuria [4]) et ex singulis carminis vocabulis elucet. Ecce exempla:

V. 5.—*copulatrix,* quæ vox quamvis, quod sciam, neque apud Apulejum inveniatur neque apud Tertullianum, tamen iis, quæ dixi, fidem quodammodo facit, quippe quum substantiva in —*tor* et —*trix* desinentia apud Afros scriptores sint quam frequentissima; [5]) ut apud Apulejum: *exortor, gloriator, modificator, ducatrix, exculcatrix, expultrix, veratrix;* apud Tertullianum: *acceptator, adflictator, circulator, præsumtor, prædicator, actrix, adulatrix, conditrix, prædicatrix.* Cujus generis sexcenta fere exempla afferri poterant.

V. 13.—*purpurantem* pro eo, quod est *purpureum esse,* ut Apul. Metam. X, 719: — — — *labiasque modicas ambrosio rore purpurantes.* [6])

---

[3]) Virg. G. II, 325 sq. A. II, 458 sq. Lucret. I, init., V, 736 sq. Ovid. F. IV, 85—165, cet.

[4]) Conf. Hand. Turs. II pag. 220: — — — poetæ recentissimi luxuriam quandam affectant, a qua boni scriptores antiqui abstinebant.

[5]) Conf. L. Apuleji Opera Omnia. Recensuit D:r G. F. Hildebrand. Lipsiæ 1854. P. I, pag. 17.

De L. Apulejo, scriptore Latino, adversaria, quæ — — — p. p. Mag. Chr. Cavallin. Lundæ MDCCCLVII. Pag. 30: "Rursus pro participiis substantiva, quæ in — tor desinunt, quibus id, quod quis agit, in perpetuam hominis proprietatem mutetur."

[6]) Conf. Arnob. V cap. 7.

V. 22.—*totæ* = omnes, ut Apul. Met. III, 201: *totasque artis manus.* Ib. VI, 427 extr. — — — *toti dii.*[7])

In eodem versu: *virgines rosæ,* quæ vocabula similiter usurpavit Apulejus, Met. III, 232: — — — *rosæ virgines* — — — *florebant.* Conf. Tertull. De Jejun. 6: *virgo saliva.* Apol. 9: *virgo continentia.* Adv. Jud. 13: *virgo terra.* De Virg. Vel. 9: *virgo vidua,* cet.[8])

V. 43. Congreges, quam vocem primus usurpavit Apulejus, Met. VII, 475: *Equinis armentis namque me congregem pastor* — — — *permisit;* deinde Tertullianus, de Pænit. cap. 11: *nullis commessationibus congreges.* Conf. Solin. p. 12. Heidtm. pagg. 43—45, ubi alias quoque inter Apulejum et Pervigilii scriptorem similitudines allatas reperias.[9])

Accedit frequens illa et singularis præpositionis *de* repetio. Quæ præpositio etsi non, ut vult Orellius, "quamlibet fere habet significationem,"[1]) tamen diverso ab aureæ ætatis scriptoribus modo hoc in carmine usurpatur.[2])

V. 4. Et nemus comam cet., ubi *per* præpositionem exspectaveris. Conf. v. v. 14, 17. Apul. Metam. III, 186. Conf. Hildebrand. ad hunc locum. Ibid. IX, 669. Tertull. Apol. 1, 9, 23, 24, 50. Hermog. 32. De spect. 25. Marc. V, 6. Handii Turs. P. II, pagg. 217—219.

V. 6. Implicat casas cet., ubi eadem præpositio indicat materiam, ex qua quid efficitur, id quod *ex* præpositionem apud melioris latinitatis scriptores significare constat. Conf. v. v. 9, 22, 23. Apul. Met. VIII, 528. Conf. Hildebrand. ad hunc locum. Tertull. Marc. V, 14, 17, 20. Hermog. 2. Apol. 23, sæpius.

---

[7]) "*Totæ,* i. e. omnes — — — qui usus frequens est apud Apulejum et in primis Tertullianum; unde Italorum *tutti.*" Orell. pag. 235. Conf. Pervig. v. 51. Calp. Ecl. II, 17.

"Apulejus et Tertullianus — — — vocum significationes licenter immutaverunt." Cavall. l. l.

[8]) De quo substantivorum apud Apulejum usu disputat Hildebrandus P. I pagg. 28, 81, 82.

[9]) "*Congregis* vel *congrex* inferioris ætatis vox est, ut apud Prudentium *segrex* et *complex, complices.* Wernsd. Poet. Latt. Min. T. III pag. 473.

[1]) Orell. p. 234. Conf. Buech. pag. 17.

[2]) Conf. Anonymi Orestis Tragoedia emendatiorem edidit Jacobus Mæhly. Lipsiæ MDCCCLXVI. Pagg. 19 sq.

Cavall. pag. 31 extr. sq.

Appuleji Opera Omnia cum animadversionibus Francisci Oudendorpii. Lugduni Batavorum MDCCLXXXVI. Tom. I. Pag. 250.

Grammatik der Romanischen Sprachen von Friedr. Diez. Dritter Theil. Pagg. 156—162.

La Langue Française par M. Pellisier. Paris 1866. Pagg. 51 sq.

V. 39. Ut nemus cet., quo in versu *de* particula quodammodo abundat, ut Apul. Met. IV, 250, alibi. Conf. Fragmenta *de qualitate vitæ,* quæ Pervigilii poetæ deberi sibi persvadent Wernsdorfius et Orellius. Quorum fragmentorum v. v. 6, 9 particulam *de* eodem fere modo usurpatam invenias. [3])

His, quæ allata sunt, exemplis aliisque ductus rationibus jure concludi posse existimo, scriptorem Pervigilii et eodem fere fuisse tempore, quo vixerunt Apulejus et Tertullianus, et ipsum fuisse Afrum, etsi Apulejus an alius quis ejusdem gentis fuerit, affirmare non ausim. [4])

Restant quidem in hoc carmine nonnulla, quæ, ut ab aurea Latinarum litterarum ætate aliena, sic non adeo singularia sint et hujus poetæ solius propria, ut ad tempus carminis compositi definiendum quidquam attineant. Ad tertiam igitur disputationis nostræ partem hæc videntur referenda.

Jam quæritur ubi et quomodo peractum sit illud pervigilium sive festum nocturnum, cujus in hoc carmine fit mentio. Atque ne in temeritatis crimen incurram neve augeam inutilium hariolationum congeriem, in hac re explicanda non multus ero. Id igitur ante omnia moneo, ex versu 42, id quod vulgo fecerunt Pervigilii interpretes, non posse colligi, hoc carmen a choris fuisse cantatum; quod enim *cras* i. e. ipso die festo erat agendum, id ad Pervigilii carmen traducere non debemus. Nam Pervigilii carmen, sive publice cantatum umquam fuisse credas, sive non, ad eum certe referri debet diem, qui ipsum Veneris festum proxime antecessit, id quod ex illo *cras* adverbio in versu intercalari aliisque versibus nonnullis repetito satis apparet. Neque dubium est, quin crastinus ille dies, quem dicit poeta, Calendæ sint Apriles: eo enim die et antiquitus Romæ mulieres sacra sollemnia Veneri facere solebant omnisque Aprilis mensis in Veneris erat tutela, et vernum idem erat festum, quod "cras"

---

[3]) Conferri etiam possunt "Fragmenta de rosis" in Wernsdorfii Poet. Latt. Min. Tom. VI P. I pag. 179, ubi *de* particulam abundare concedit Wernsdorfius. Quamquam supervacaneum umquam esse illud *de,* apud Afros scriptores frequentissimum, negant Hildebrandus (Apul. Met. IV, 250) et Handius (Turs. II pag. 218. Conf. ib. p. 192 sq.)

[4]) Conf. Orellium, Heidtmannum, Lysandri Hist. Litt. Rom. pag. 108, Bernhardyi Hist. Litt. Rom. pagg. 304, 305 (annott. 230, 231). Ibid. pagg. 317, 512.

Annal. Philol. 1861 pag. 646, ubi nobis consentit Lucianus Muellerus: "Dass der Autor übrigens ein Africaner gewesen ist — — — — hat nur (?) einen, aber allerdings nicht ganz übeln Grund für sich, den nemlich, dass die bekannten Verfasser der in Salmasianus enthaltenen Gedichte sämtlich auf das Vaterland Africa hinweisen, woraus man wol einen Schluss auf die Heimat der unbekannten ziehen kann."

erant celebraturi, id quod ex toto fere carmine elucet. [5] De qua re conferas velim Ovidii Fast. IV, 133 sq.; Plut. Num. 19. His autem Ovidii et Plutarchi locis quæ commemorantur sacra Calendis Aprilibus Veneri peracta longe diversa sunt ab iis ceremoniis, quarum in Pervigilio fit mentio. Unde haud scio an recte colligi possit, illud Veneris pervigilium, quod poeta appellat, non Romæ fuisse celebratum, sed aut in provincia quadam Italiæ inferioris aut in Sicilia, id quod multo veri similius videtur.

Buechelerus quidem (p. 39 sq.), auctore Muellero, suo jure negat, consentiendum esse Heidtmanno, qui v. v. 49, 51, 52 male intellectis falso contendat (p. 10 sq.), hoc pervigilium Græco ritu Hyblæ, urbe Siciliæ, esse celebratum: illam enim Siciliæ regionem, quæ Hyblæ urbi adjacebat, "florum copiosa varietate" præstitisse constat [6] Quare in versu 49 *Jussit Hyblæis tribunal stare diva floribus* non intelligendum in campo Hyblæo erectum tribunal, sed floribus ornatum Hyblæis; eodemque modo interpretandi sunt versus 51, 52. [7] Hoc igitur ut recte disputat Buechelerus, sic non in omnibus falsus est Heidtmannus. Hybla enim urbs non temere commemoratur, sed ideo Pervigilii scriptoris animo obversata est, quoniam eam maxime habebat cognitam. Quod ita esse si quis negaverit, is dicat velim, quid sit, quod regionem illam Hyblæam præ omnibus regni Romani et æque floridis regionibus et a Roma propius absentibus non sine vi quadam nominatim appellaverit.

Atque, ut brevi comprehendam, cetera, quæ de ratione, qua celebratum est pervigilium Veneris, in ipso carmine traduntur, hæc fere sunt:

Celebratum est pervigilium Veneris in nemore myrteo floribus frondibusque vestito (v. v. 4, 28, 39, 44), ubi homines per tres noctes (v. 42) pervigilium agentes casas ædificabant myrteas (v. 44), semetipsos ornabant floridis corollis ("floreas inter coronas" v. 44), cantica choris accommodata agebant (v. v. 42, 46). In medio nemore Venus ipsa ut veris vernorumque omnium dea, i. e. imago Veneris, fulta "sublimi throno" (v. 7), toti rerum naturæ jura dicere fingebatur. Quam sequitur Amor, assident Gratiæ et Nymphæ Oreades, Dryades, Najades (v. 28 sq., 50 sq.), neque absunt Ceres, Bacchus, Apollo sive poetarum

---

[5]) Conf. Bergk. pag. 5. Beckeri Antiquit. Rom. P. IV pag. 448. Prelleri Mythol Rom. p. 388.

[6]) Cic. Verr. III, 43.

[7]) Conf. Buech. pagg. 39 sq.

ille deus (v. 45). Horum quoque numinum imagines fuisse circum thronum Veneris collocatas, etsi in carmine non liquido commemoratur, veri simile videtur. [8])

His igitur expositis ad tertiam hujus commentationis transeamus partem, quæ in singulis sive vocabulis sive versibus breviter interpretandis et præsertim in difficillimo quoque ad intelligendum loco explicando versabitur.

V. 2. Ver novum cet.) Huic svavi verni temporis descriptioni conferenda sunt ea, quæ leguntur Ovid. Fast. I, 151 sq. III, 236 sq. IV, 87 sq. Anacr. Od. 37. Lucr. I, 1 sq. 251 sp. II, 991 sq. V, 318 sq. Hor. Od. I, 4. IV, 7. IV, 12. Virg. G. II, 323 sq. Calp. Ecl. V, 21 sq., alibi.

—*ver canorum)* propter svaves avium cantus. Conf. Apul. Met. XI, 768: — — — *ut canoræ etiam aviculæ prolectatæ verno vapore concentus svaves adsonarent.* Virg. G. II, 328: *Avia tum resonant avibus virgulta canoris.* Ovid. Fast. I, 155 sq.

—*vere natus orbis est).* Hæc vocabula multis et criticis (quibus supra conatus sum respondere) et interpretibus fuerunt offensioni, in quibus est A. Moebius (l. l. pag. 18) et, ut videtur, Freius in Mus. Rhen. 1856 pag. 196 sq. Qui, sententiam perverse intelligentes, jure quære sibi videntur, quid illud sibi velit, *orbem* sive *mundum* vere esse natum, quasi vero ante mundum creatum ver esse posset. At longe alia est hujus loci intelligentia. Nam quod orbem vere esse natum dicit poeta, id ita intelligendum, primum recentis mundi tempus fuisse ver. Neque aliter accipiendus est locus ille Virgilianus, quem Pervigilii scriptor imitatus est, Georg. II, 336:

Non alios prima crescentis origine mundi, cet.

Hos igitur veram loci sententiam non intelligentes in emendando lavisse laterem, non est mirandum. [9])

V. 4 — maritis) i. e. *fecundantibus,* ut Avien. Metaphr. Perieg. Dion. 339 fluctus Nili dicitur *maritus.* Præterea vix opus est monere translationem quandam huic versui inesse ab animalium conjugatione petitam. Simillimi huic loco sunt versus Virg. G. II, 325 sq.: *Tum pater omnipotens* cet. [1])

---

[8]) Conf. Buech. pag. 44.

[9]) Conf. Bergk. pag. 5.

[1]) Vide locos Lucr. nuperrime laudatos multosque alios aliorum scriptorum locos, quibus de eadem re fit mentio. Conf. Wernsd. Poet. Latt. Min. III, pag. 536 sq. Heidtm. p. 2 sq.

V. 5 — amorum copulatrix). Rarissimum hoc vocabulum, quod, quantum scio, nisi h. l. et apud Augustinum (Trin. 11, 9) non legitur aliaque nonnulla hujus carminis vocabula Afrum produnt scriptorem, ut supra dictum est. Conf. v. 59 — *copulavit nuptias* et Apul. Met. II, 118, ubi *copula* substantivum adhibitum esse invenias pro eo, quod est *conjugium.* [2])

V. 6. Implicat casas virentes). Conf. Calpur. Ecl. I, 12:

Protegit et ramis errantibus implicat umbras.

V. 7 — Dione) quæ mater erat Veneris h. l. nominatur pro ipsa Venere, ut Ovid. Fast. II, 461. Bion. I, 93, alibi.

V. 59). Sacrum hoc Aetheris et terræ conjugium non modo sexcentis fere Græcorum Romanorumque scriptorum locis commemoratur, sed in multis etiam Ariorum, qui dicuntur, populorum carminibus. Vide, si placet, carmina illa, quæ inscribuntur *Vedas* et exempla, quæ ex scriptoribus et Græcis et Latinis pepita satis multa collegit Wernsdorfius, Poet. Latt. Min. III pag. 336 sq. [3])

V. 60). Conjungi debet hic versus cum antecedenti, si quidem *ut* particulam pro finali, quam dicunt, accipiendam interpretari poteris. Quod si fecisset Buechelerus, in versum 62 minus sævisset.

— totum — annum) idem h. l. est atque *omnem anni fecunditatem.* [4])

V. 61). Imitatus h. l. poeta vel potius transcripset Virg. G. II, 325, 326:

Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether
Conjugis in gremium lætæ descendit . . . . [5])

Atque *Jovem* apud poetas poni solere pro *coelo* et *aere* satis constat. [6])

V. 62). Buechelerus quo jure hunc ex Virg. G. II, 326, 327 fere ad verbum sumptum versum ejecerit, jam supra (pag. 11 sq.) ostendimus. *Unde* autem adverbium ita est intelligendum, ut et *finem* notet et *originem*, vel, ut planius dicam, pro eo positum sit, quod est *ut inde.*

---

[2]) Vide, si tanti est, G. F. Hildebrand. ad Apul. P. I pag. 103.

[3]) Conf. quæ paulo supra ad v. 4 allata sunt.

[4]) Conf. Heidtm. pag. 58.

[5]) Conf. Virg. Ecl. VII, 60. Lucr. II, 991.

[6]) Conf. Cic. N. D. II, 25. Hor. Od. I, 1, 25. I, 22, 19. Ovid. Fast. II, 299. III, 527. IV, 505. Juvenal. V, 78 sq.

— *mixtus)* participium conjungas cum *magno corpore*, ad *Unde* referas *aleret*, quod verbum eodem fere modo ususpavit poeta, quo Horat. IV, 2, 5:

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas. [7]

Quæ eo magis mihi erant monenda, quia videbam, quam hunc versum non intellexissent nonnulli, in quibus Lindemannus adeo perverse et intellexit et correxit, ut eum magis miserandum esse facile quis dicat, quam ridendum. [8]

V. 9). Notissima est hæc fabula, qua Venus nata est ex membro Aetheris patris reciso et maris spuma. Unde apellata est Venus *marina, Ποντία, Ἀφρογενής, Ἀφρογένεια*, cet. [9]

V. 10. Cærulas). Adjectivum hoc de mari deque iis, quæ maris sunt, frequentissime usurpatum. [1]

— *catervas).* Intelligitur *cærulus grex Nereidum*, quem vocat Seneca Hip. 336.

— *bipedes equos)* i. e. equi illi monstrosi, quibus vehi solebant dii marini. Qua de re conf. Wernsd. Poet. Latt. Min. III pag. 465; Moeb. pag. 20, et quæ ad hunc locum explicandum disputat Hildebrandus.

V. 63. Ipsa). Per hoc pronomen, quoties in Pervigilii carmine usurpatur, semper Venerem designari statuendum est, excepto v. 41, ubi intelligenda est Virgo illa Delia (v. 38). [2]

— *mentem)* i. e. hominum animaliumque conjunctionis appetitum (Cic. Off. I, 4), quæ vis huic vocabulo inest etiam Virg. G. III, 267; Colum. Hort. v. 211.

V. 64. — procreatrix) "quo verbo comparatur Venus cum Aethere *creatore*, atque sic vocatur ab Arnobio, Lib. IV, p. 151: *Regnatoris procreatrix, amans saltatur Venus.* — — — — Quemadmodum, inquit, Aether vere incipit fecundis imbribus procreare fetus terræ, ita et Venus procreatrix animantum vim prolificam per omnes mundi partes excitat, et intus occultis gubernat viribus, spiritu ejus venas atque mentem omnium permeante." [3]

---

[7]) Conf. Wernsd. Poet. Latt. Min. III, pag. 476.

[8]) Lindem. pag. 20. Mus. Rhen. 1856 pagg. 208, 209.

[9]) Hesiod. Theog. Lennep. 188—200. Conf. Ovid. Fast. IV, 61 sq.

[1]) Ovid. Fast. IV, 446. Her. IX, 14. Virg. A. V, 819, alibi. Conf. Homericum illud *κυανοχαίτης*. Jl. XX, 144, 224, sæpius.

[2]) Conf. Calpurn. Ecl. I, 46. IV, 48. Nemes. Cyneg. 70. Stat. Silv. I, 2, 11.

[3]) Wernsd. Poet. Latt. Min. III pag. 477.

V. 65—67). Hi versus quomodo sint interpretandi quam ceteri interpretes verius explicavit Orellius l. l. pag. 238: "Ipsa sui tenorem pervium per cælum, terram, mare imbuit semine genitali omnia penetrante ac veluti tramite facto, i. e. facili opera percurrenti, unde omnia, quæcunque vivunt, ad ortum perveniunt." [4])

Versibus, qui proxime sequuntur (69—74), i. e. tota stropha tertia, id agit poeta, ut ad gloriam Veneris amplificandam ostendat, quanta sint hujus deæ in populum Romanum merita. Qui versus nihil fere ei præbent obscuri, qui quidem historiam populi Romani aliquatenus habeat cognitam. Quod quum ita sit, satis erit monuisse, *Romuli* genitivum ad præcedens *posterum* esse referendum, non ad sequens *patrem*, quo significatur divus ille Julius Cæsar, qui ut Juliæ gentis ejusque magnitudinis auctor, sic Augusti imperatoriæque potestatis quasi parens habebatur. Unde quis sit ille *nepos* facile intelligitur. [5])

V. 76. — fecundat). Poeticum hoc vocabulum et Augusti demum temporibus usitatum posterius carminis compositi tempus indicat. [6])

—rura Venerem sentiunt). Id quoque Veneri dandum est laudi, quod non modo omnium, quæcunque vivunt et spirant, et præsertim populi Romani est procreatrix, sed rura etiam quasi animat redditque fecunda.

V. 77). Eandem fabulam secutus est Tibullus II, 1, 67—68:

Ipse quoque inter agros interque armenta Cupido
Natus et indomitas dicitur inter equas.

V. 78). Wernsdorfius male post *ager* et *ipsa* interpunxit; nam *ager* substantivum ad *parturiret* subjecti loco referri debet, ad *suscepit* pronomen *ipsa*. *Parturire* i. e. *virescere* ager dicitur verno tempore, ut est apud Virgilium, Ecl. III, 56:

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos.

---

[4]) Conf. Virg. A. VII, 541. Lucr. I, 16 sq.

[5]) *Nepos* illud substantivum universe, ut ita dicam, positum esse pro eo, quod est *progenies*, Suethice *afkomling*, vix opus est monere. Conf. Catull. 58, 5. Virg. A. VI, 865. Hor. Od. II, 13, 3. Ovid. Pont. III, 3, 62. "Sic et alibi Octavianus Cæsaris nepos appellatur. Eutrop. 7, 1. — — — Nihil omnino impedit, quo minus poeta D. Julium et D. Augustum, quorum fortasse etiam tunc cultus inter XX Divos vigebat, certe nondum in oblivionem abierat, tamquam Populi Romani Genios tutelares hic significarit." Orell. pag. 238.

[6]) Conf. Virg. G. IV, 293. Augustin. Trin. 13, 18.

"Ex Bione Idyll. VI, 17 εἴαρι πάντα κύει, πάντ' εἴαρος ἁδέα βλαστεῖ." Heyne, ad hunc locum. [7]) Laudat Wernsdorfius Stat. Silv. I, 2, 109:

— — — — — *tellure cadentem*
Accepi fovique sinu.

Quæ, quum de Venere ipsa sint dicta, non favent Wernsdorfii interpretationi, sed repugnant.

V. 13. — gemmis floridis) i. e. florum gemmis sive floribus, id quod a Wernsdorfio, *gemmis* pro *gemmeis* esse positum dicente, [8]) male intellectum video. [9])

V. 14—15). Hi versus, quoniam, ut supra dixi, ne quid corruptum sit admodum vereor, difficillimi sunt interpretatu.

— *surgentes)* i. e. nascentes, crescere incipientes.

— *papillas).* Intelliguntur prima florum germina, quippe quæ papillis quodammodo sint similia.

V. 15). Quemadmodum hic versus multas multorum expertus est emendandi conjecturas, sic plures etiam et diversas interpretationes, quas non operæ pretium est enumerare. *Penates* substantivum usurpavit poeta pro eo, quod est *putamen* sive *cortex*, quo quasi domicilio includuntur stamina et pistilla, quæ dicunt herbarii. Quæ vis sæpius et apud poetas et apud prosæ orationis scriptores huic voci tribuitur. [1]) *Notos* autem *penates* interpretor "domicilia flosculo nascenti carissima et jucundissima." Quare veram hujus versus sententiam sic breviter exprimi posse opinor: Favonii spiritus "papillas surgentes," jubente et dominante Venere, ita urget *in* i. e. *adversus* floris putamina, ut ea sensim pandat inclusus ille flosculus et promineat. [2])

V. 17 — trementes). Conjungi debet hoc participium cum iis, quæ proxime sequuntur: *de caduco pondere,* quibus exprimitur tremendi causa.

V. 19 — pudorem — prodiderunt) i. e. interiores et pulchriores partes extenderunt omnibusque dederunt conspiciendas. Id autem et ad hæc et ad totum fere hoc carmen recte intelligendum animadverti oportet, a poeta Pervigilii

[7]) Conf. Virg. G. II, 330. Hor. Od. I, 7, 16. IV, 5, 26.
[8]) Poet. Latt. Min. III pag. 466.
[9]) Conf. Orell. pag. 234.
[1]) Vide, si placet. Cic. R. A. 8. Liv. XXVIII, 18. XLIV, 39. Virg. A. VIII, 123.
[2]) Conf. Wernsd. Poet. Latt. Min. IV pag. 857.

ubique ad nuptias hominum respici earumque imagine omnia effingi, quæcunque ad festum pervigilii pertineant. [3])

V. 22 — rosæ). De rosis Veneri sacris conferas velim Hildebrandi edit. Apul. P. I pagg. 110, 974. [4]) Quod autem *nubere* dicuntur rosæ, id quid sibi velit, ex versu 19 intelligere possis.

V. 23). Nota est et a multis scriptoribus celebrata fabula illa de *rosa* ex sanguine Veneris creata ("facta Cypridis de cruore"), unde ei suffusus est rubor. [5])

V. 25—26). Quid sibi velit illud *ruborem—solvere* ex 19, 22 versibus facile intelligitur. [6])

V. 15 — luco — ire myrteo). Poetæ nonnumquam dativo casu, qui dicitur, utuntur, ubi accusativum cum *in* præpositione conjunctum exspectaveris, ut Virg. A. I, 6. II, 688. V, 451. Ecl. II, 30. Ovid. Metam. IV, 91. Hor. Od. I, 28. [7])

V. 30 — vexerit). In hoc verbo, quippe quod adhibuerit poeta pro eo, quod est *tulerit, gestaverit,* soloecismum quendam "ævi illius, quo vixit auctor Pervigilii," reperire sibi jam visus est Salmasius, ut a Wernsdorfio adnotatum video l. l. III pag. 471. [8])

V. 34). Cupido armis etiam depositis ideo Nymphis nocere poterat, quoniam est pulcher. [9])

V. 35). Quoniam pulchritudo est vera Amoris armatura, semper et ubique in armis est totus. Semper igitur timendum, ne noceat. [1])

V. 37. Compari) i. e. eo pudore, qui et te deceat et nosmet ipsas. Hoc

---

[3]) Conf. v. v. 22, 25, al.

[4]) Conf. "Fragmenta de Rosis" in Wernsdorfii Poet. Latt. Min. VI pag. 181: *Est rosa flos Veneris* cet.

[5]) Conf. Wernsd. l. l. VI pag. 179. III pag. 469. Apul. Met. III, 232.

[6]) Conf. Virg. A. IV, 27. Tertull. ad Natt. II, 9. Ed. Oehler.

[7]) Conf. Gram. Lat. Madv. § 251. Gram. Lat. ed. G. T. A. Krüger, pag. 481. Rudimanni Inst. Gram. Lat. II pag. 154.

[8]) Conf. Moebium, pag. 19.

[9]) Conf. v. 56.

[1]) Conf. Wernsd. l. l. ad hunc locum: "Quod amor pulcher est, etiam totus est armatus, cum armis exutus est. Nam pulchritudo illi satis valida armatura. Salmas." Heidtm. pag. 55 sq.

modo si rem intellexeris, non erit, cur *compar* adjectivum te offendat, id quod nonnullis accidisse video interpretibus. [2])

V. 38 — virgo Delia). Diana, in Delo insula nata. [3])

V. 40 — pudicam flecteret) i. e. si tibi, virgini pudicæ, persuadere posset, ut pervigilio interesses idque virginitatem tuam deceret. [4])

V. 42—46). Hi versus quomodo sint intelligendi ex iis apparet, quæ supra allata sunt de ratione, qua celebratum est Veneris pervigilium.

V. 42 — choros). Venus dea, vere incipiente, ad terram descendit eamque vi sua reddit fecundam, Nymphas et Gratias comites saltare docet, omnia vigere et lætari jubet. [5])

V. 43. Corgreges inter catervas) i. e. catervatim sive in catervas congretati.

V. 46. Te sinente). Nam Diana venatrix nisi a nemore abiisset omnesque removisset venationis tumultus, pervigilium Veneris in nemore non poterat celebrari. [6])

— perviglanda). "Par une contraction semblabe *vigilia* devint *vigla;* probablement même cette forme corrompue étais assez répundue, puisque les Grecs du moyen âge en avaint fait *βιγλας*." [7])

V. 49 — stare) h. l. idem fere est atque *plenum esse, abundare* vel, ut explicat Wernsdorfius, *oppleri, stipari.* Conf. Virg. A. VI, 300. XII, 408. Hor. Od. I, 9, 1, ubi Dillerburgius: "Stare, inquit, res apud poetas dicuntur, quæ ita opertæ et oppletæ sunt, ut moveri jam non possint — — —; quod ad inanimatas quoque res hoc verbum transfertur, id noli mirari, quia poetis ubique motus est et vita."

V. 50 — Gratiæ). *Χάριτες*, quæ semper fere Veneris sunt comites. [8])

V. 51). Omnes, inquit, flores omnis generis fundas, quoscunque annus gignere solet, ut iis exstruatur Veneris tribunal et ornetur.

---

[2]) De tota loci sententia conf. Wernsd. ad hunc locum.

[3]) Conf. v. 47.

[4]) Conf. v. 41.

[5]) Conf. Hor. Od. I, 4, 5. I, 30, 6. IV, 7, 5, alibi.

[6]) Conf. quæ jam diximus pag. 19.

[7]) M. Edélstand du Méril l. l. pag. 114. Lucianus Muellerus quod hoc loco *perviclanda,* non *perviglanda,* legendum esse dicit, nihili est. Vide Luciani Muelleri "De Re Metrica" pag. 316.

[8]) Conf. Hor. Od. I, 4, 6. I, 30, 6. IV, 7, 5. Hesiod. Theog. 907.

V. 52 — sume vestem, quantus) i. e. tot te indue floribus, ut vestem quasi efficiant tantam, quantus est Aetnæ campus. [9])

V. 55 — pueri mater alitis). Intelligitur, ut est apertum, Amor, quem eadem appellatione significavit Horatius, Od. III, 12, 4: *Cythereæ puer ales* cet.

V. 56 — nihil Amori credere). Hoc cur jubeat Dea, ex v. v. 34, 35 colligere licet.

V. 81—88). Non modo dii, nymphæ, homines pervigilio Veneris interesse student, sed bruta quoque animalia svavi Veneris vi amorisque voluptatibus perfuduntur eamque ob causam circum sublimem deæ thronum (v. 7) congregantur.

V. 81 — explicant tauri latus) ea fruentes jucundissima conjugalis foederis (v. 82) tranquillitate et deliciis, quibus verno præsertim tempore afficiat Venus. [1])

V. 85). Imitatus est poeta Virg. A. XI, 458:

Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni. [2])

V. 85—88). Pandioni, Athenarum regi, duæ erant filiæ, Procne et Philomela, quarum illa Tereo, Thraciæ regi, erat nupta eique Ityn genuit filium. Tereus post allatam Philomelæ vim et interemtum ab iratis mulieribus Ityn sibi ipse manus intulit. Procne et Philomela sorores Athenas ad patrem profectæ præ luctu et animi angore contabuerunt. Unde vulgata est de iis fabula, alteram in lusciniam, in hirundinem alteram esse mutatam, propter miserabilem utriusque avis cantum et lugubrem. Quamquam quum in hac re satis multum discrepent scriptores, conferas velim Herod. VII, 137. Paus. I, 41. Ovid. Met. VI, 425—675. Fast. II, 627 sq. Ibid. v. v. 851—4. Ed. Weber. Thucyd. II, 29. Hygin. Fab. 45. Apollod. III, 14, 8. Virg. Ecl. VI, 78 sq. Georg. IV, 511. Hor. Od. IV, 12. Hom. Odyss. XIX, 518 sq. alibi.

V. 86. — Terei puella). Puella est Philomela (conf. v. 88 *sororem*), quam stupravit stupratæque linguam exsecuit Tereus. Conf. Virg. G. IV, 511: *Qualis populea mærens Philomela sub umbra.* Sunt autem et luscinia et hirundo verni temporis prænuntiæ, id quod videre licet ex Ovid. Fast. II, 851 (853); Hom. Odyss. XIX, 518 sq. [3])

---

[9]) Conf. Hor. Sat. I, 2, 16. Cic. Verr. IV, 48.

[1]) Conf. Calp. Ecl. I v. v. 4, 5.

[2]) Conf. Calp. Ecl. V v. v. 16, 17:

— — — Vere novo quum jam tinnire volucres
Incipient nidosque reversa lutabit hirundo.

[3]) Conf. Hor. Epist. I, 7, 13.

V. 87 — ore dici musico). De lusciniæ svavissimo cantu conf. Plin. H. N. X, 29.

V. 88 — sororem). Intelligitur eadem Philomela, quæ cujus esset soror non opus erat dicere.

—marito barbaro). Non de suo queritur marito, sed de Procnes, cujus erat soror. Conf. Ovid. Fast. II, 627 (629):

Et soror et Procne Tereusque duabus iniquus.

Philomela avis etsi cum sorore justissimam querendi causam habere poterat, tamen, quum insequentem et ulciscendi cupidine flagrantem Tereum se effugisse videt, adeo cantando lætatur, ut eam musico ore tinnire lætitiaque exsultare facile dixeris.

V. 89—90). Quomodo sint intelligendi hi versus, haud scio an recte et ceteris Pervigilii interpretibus melius docuerit Buechelerus pag. 45: "Immo inquit, dubitandum potius mihi videtur, an adempta imperatorum sævitia libertas loquendi animo poetæ abversata sit, ut has querellas cum illis componas, a quibus initium Tacitus fecit vitæ Agricolæ, cujus cap. 3 similiter silentio quod diuturna necessitas injunxerat incondita ac rudis vox excusatur. Quod licet liquido confirmari nequeat, propius a vero abesse credo quam si hoc significasse poetam statuas, sua se sponte ac voluntate tam diu tacuisse." Quæ interpretatio eo magis videtur probanda, quum sit apertum, poetam non sine tristitia quadam et animi abjectione de semet ipso loqui.

V. 91 — nec me Phoebus respicit). Phoebus sive Apollo poetas tum respicit, i. e. adjuvat et iis propitius est, quum divino suo spiritu eos implet et ad scribendum reddit aptos. Hinc illa vota, a quibus poetæ, carmina composituri, plerumque capiunt initium. De qua *respiciendi* vi vide Plauti Rud. v. 1316, ed. Fleckeisen; Cic. Att. I, 16, 6. Hor. Od. I, 2, 36; al. [4])

V. 98 — Amyclas). De hac urbe ejusque interitu vide Serv. ad Virg. A. X, 564. Paus. III, 2. Sil. Ital. VIII, 528 (530), al.

---

[4]) Conferas, si tanti est, Hæbr. רָאָה חָזָה; Græc. *σκοπεῖν* aliaque ejusdem generis exempla, quæ et in veteribus linguis multa inveniuntur et recentioribus.

Corrigenda.

Pag.	1	vers.	1	legitur	*Ἔι*	legendum est	*Eὶ*	
,,	,,	,,	14	,,	defficilem	,,	difficilem	
,,	,,	,,	18	,,	juro	,,	jure	
,,	7	,,	18, 27	,,	hand	,,	haud	
,,	8	,,	4	,,	inconsinne	,,	inconcinne	
,,	,,	,,	33	,,	7	,,	7 cap. 34.	
,,	13	,,	26	,,	aqua	,,	aquam	
,,	15	,,	26	,,	capulativam	,,	copulativam	
,,	18	,,	16	,,	eore	,,	errore	
,,	21	,,	21	,,	quam	,,	quem	
,,	22	,,	1	,,	nullus	,,	nullis	
,,	24	,,	6, 8	,,	muliebribus	,,	mulieribus	
,,	26	,,	12	,,	repetio	,,	repetitio	
,,	29	,,	18	,,	quære	,,	quærere	
,,	,,		33	,,	seriptorum	,,	scriptorum	
,,	30	,,	14	,,	pepita	,,	petita	
,,	,,	,,	20	,,	transcripset	,,	transcripsit	
,,	31	,,	2	,,	ususpavit	,,	usurpavit	
,,	35	,,	11	,,	Corgreges	,,	Congreges	
,,	,,		12	,,	congretati	,,	congregati	
,,	,,		16	,,	répondue	,,	répandue	
,,	,,		21	,,	Dillerburgius	,,	Dillenburgerus.	